

Ex his seculi XIII. indicibus difficultas enascebatur *Scheybio*, qua ne suus Theodosius e medio removeretur periculum imminebat; satis tamen miro remedio rem expedivit, affirmans, non ex regulis diplomaticis dijudicandum esse de scripturae aetate, sed potius regulas reformandas esse ad normam a Tabula nobis ostensam, ita ut quas in ea deprehendimus formas, eas seculi quarti genuinas fuisse judicemus. Bonum sane praeceptum, si de Theodosio auctore constaret; rejiciendum autem, cum disquisitio diversissimum manifestaverit.

Nec de tempore tantum, sed et de patria sua nos reddit certiores scriptor. Evolventi Segm. II. atque III. occurrit e sinistra Rheni parte *Silva Vogasus* (les Vosges), e dextra *Silva Marciana* (der Schwarzwald), cujus utriusque nomen antiquum, quod vides in *Caesaris Bello Gall. IV, 10, Vogesum montem nominantis*, et ex *Ammiano Marcell. XXI, 8, Marcianam silvam indicante*. Sed per montium tractum mirans conspicis arbores varii generis proceras, alte assurgentes, ramis foliisque partim acuminate, partim frondosis exornatas nitideque depictas, ita tamen ut proportionem universo Orbi convenientem longe excedant. I nunc singula Tabulae segmenta accurate perlustraturus, nulla parte videbis silvam denominatam, multo minus ea diligentia et arte depictam, quae intuentis attentionem data opera in se convertat. Suspicio movetur vel nolenti, scriptorem singulari studio immoratum esse regioni, quae sibi patria esset. In Rheni superioris partibus degebat auctor, quotidie in conspectu habens utramque silvam nimia mensura a se expressam.

Quae tamen cuncta ne parum intellecta inspicientium oculos effugiant, ipse in medium progreditur monachus, in *Annal. Colmar.* (apud *Vrstisium P. II, p. 8*) de semet ipso testimonium exhibens: *Anno 1265 mappam mundi descripsi in pelles duodecim pergameni; conatum suum omni jure satis gravem existimans, ut absoluti operis mentio annalibus publicis insereretur. Nomen suum in nulla Annalium parte prodit auctor, sed et in obscuris versanti gratias habeamus conservatori monumenti antiqui egregii, sine dubio perituri, ut et periit, nisi monachus auxiliatrices manus, utinam diligentiores quoque, praebuisset emorienti. Monachi mappam eandem esse cum Tabula a nobis Peutingeriana dicta in conspicuo mihi esse videtur, minus ex eo quod in terris Rhenanis absoluta in eisdem regionibus posteriore aevo primum venalis exstiterit, id enim casu evenire potuit; sed quod utraque delineatio seculum XIII prae se fert, et quod utraque in duodecim pergameni membranis Orbem Terrarum complectitur.*

*Scheybius* aliam secutus opinionem, longe diversam monachi esse *Mappam Mundi* a *Peutingeriana Tabula* contendit. Praecipuum illi diversitatis argumentum in eo, quod illa per *duodecim* membranas sit continuata, „cum haec nostra Tabula *undecim* fere aequalibus et integris pellibus, nulli libi deficiente termino vel limbo, compacta sit.“ Egregium sane documentum, si fides staret dicto. Consideranti autem Tabulam subit cogitatio, haecne asseveraverit editor in praedilectionem *Theodosii* dissimulans sibi nota, an occaecatus non viderit omnium oculis patentia. Inspicientem enim sive autographon *Viennense* sive et nostram inde desumptam delineationem primo intuitu non fallit, deesse in